



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

Sandini, Antonio

Bambergæ, 1753

XVIII. S. Urbanus I. Anno Christi 226. Alexandri Imperatoris 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65446](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65446)

qua ibi sita erant, corpora Sanctorum
martyrum intra Urbem sunt delata. & in
diversis Ecclesiis honorificentius collocata.
Memoratus Panvinius cap. II. In Coeme-
teris Romæ existentibus Baptismum &
Missas celebrare, vigiliis decantare, or-
dinationes & stationes, id est omnes sa-
cras ceremonias habere, veteres solitas
fuisse, docent antiquissima Ecclesiastica
monumenta.

XVIII.

S. URBANUS I.

ANNO CHRISTI 226.

ALEXANDRI IMPERATORIS 3.

URBANUS Pontiani filius Ro-
manus XII. Kal. Novembris
anno 226. cooptatus est. Is fecisse
ministeria omnia argentea traditur in
Libro Pontificali. (1) S. Cæciliam
unâ cum sponso Valeriano, fratrem
que Valeriani Tiburtium, & Maxi-
mum cubiculo Imperatoris Præfe-
ctum, non modò ad Religionem
Christianam convertit, sed etiam ad
Martyrium pro Christo subeundum
suis hortationibus perduxit. Ipse
quoque capite obruncato ad Christi
fidem

Bar. ad
an. 226.
§. 12. &
232. §.
11. &
233. §.
1. 4.
Pag. an.
231. §. 2.

fidem testandam occubuit anno 233. VIII. Kal. Junias, cum annos sex, menses septem, & dies quatuor Romanam Ecclesiam gubernasset. Hunc instituisse Sacramentum Confirmationis dicunt Heterodoxi recentiores: qua in re mentiuntur impudentissimè. Tantò enim antiquior Urbano est Confirmatio, quantò ante eum Christus Dominus & Apostoli vixerunt.

ANNOTATIONES.

(1) Non tamen hinc inferendum, ut quidam perperam faciunt, tunc primum ex argento cufos calices fuisse. Nam liber Pontificalis refert, quid ille fecerit: quid verò ab aliis ante ipsum factum sit, & quibus vasis usi sint, non dicit: Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 25. §. 2.

Mabillonius Comment. in Ord. Rom. cap. 6. pag. 46. tom. 2. Musei Italici: Unum hic addere lubet de vasis sacris Basilica Vaticana, de quibus fit mentio apud Orosium, qui de Romana Urbis direptione per Alaricum facta agens lib. 7. cap. 39. ait, militem Arianum vasa sacra extorquere voluisse à virgine quadam, cui commissa erant. Tum expositis opibus, attonitum fuisse barbarum magnitudi-
ne

ne, pondere, pulchritudine, ignota etiam
vasorum qualitate. *Cui virgo illi dixit :*
Hæc Petri Apostoli ministeria sunt.

XIX.

S. PONTIANUS.

ANNO CHRISTI 233.

ALEXANDRI IMPERATORIS 10.

PONTIANUS Calpurnii filius Bar. an. 233. §. 4.
Romanus anno 233. ante diem Bar. ad an. 237. §. 1. 10. Pag. an. 235. §. 5.
VIII. Kal. Julii Pontifex declaratus
est. Hunc non tam Christianæ Re-
ligionis, quàm objecti falsi criminis
causâ, unâ cum Hippolyto Presby-
tero in Buccinam Insulam Alexan-
der Imperator relegavit. (1) Id ut
magis credam, facit ejusdem Prin-
cipis animus à Christianis minimè
alienus, ejusque familia Christianis
referta. Verùm Alexandro è vivis
sublato, Maximinus, qui post ipsum
tenuit Imperium, gravi odio suscen-
sus adversus familiam Alexandri, in
qua plerique erant Christiani, persecu-
tione excitatâ solos Ecclesiarum Antisti-
tes, utpote Evangelica prædicationis au-
ctores, interficere jussit. (2) Hæc sexta
est.